DE

# CICERONE HISTORICO QUAESTIONES.

---

**DISSERTATIO INAUGURALIS HISTORICA**

QUAM

CONSENSU ET AUCTORITATE
AMPLISSIMI PHILOSOPHORUM ORDINIS

IN

**ALMA LITTERARUM UNIVERSITATE
FRIDERICA GUILELMA BEROLINENSI**

AD SUMMOS IN PHILOSOPHIA HONORES RITE CAPESSENDOS

**DIE III M. FEBRUARII A. MDCCCC**

UNA CUM SENTENTIIS CONTROVERSIS PUBLICE DEFENDET

SCRIPTOR

**JOHANNES ZINGLER**

BEROLINENSIS.

---

**ADVERSARII ERUNT**

GUILELMUS WITTE, DR. PHIL.
BRUNO RAPPAPORT, DR. PHIL.
PAULUS RIBBECK, DR. PHIL.

---

BEROLINI

MAYER ET MUELLER

HERMANNO SCHMIDT

AVUNCULO OPTIMO CARISSIMO

SACRUM.

# Argumentum.

## Caput I.

### Quibus de fontibus praecipue hausisse videatur Cicero in rebus a Romanis gestis enarrandis.

Vir vere historiae studiosus Cicero non erat, quamquam erat, cum scribere in animo haberet [1]) historiam Romanam, nimirum ut hac quoque in re Graecos vel aequaret vel superaret; destitit tamen incepto. Consulatus certe sui memoriam ut soluta oratione non minus quam carmine celebraret, omne contulit ingenium; interierunt autem — pace oratoris ingeniosi dixerim! — tirocinia tantum illa historica. Nam quamvis incredibili varietate et copia litterarum Tullius fuerit, ad historiam scribendam natus non erat. Praeterquam enim quod gravissima auctoritate Isocratis quasi captus, sicut omnes scriptores antiquitatis, in historia videbat nil nisi rhetorices partem [2]) — γένος ἐπιδεικτικόν dico — neque umquam dubitabat sententiam suam levem illam dissolutamque de ratione historiae scribendae aperte dicere [3]), tamen gravioris est momenti, quod in historia populi Romani male erat versatus. Cui cum librum de consolatione (anno a. Chr. n. 45.) componeret auxilio Attici amici opus erat, ut expedirentur exempla, evitarentur errores, peccata corrigerentur. Et Atticus quidem, qua erat scientia rerum populi Romani, facile lumen afferre poterat. Cuius rei testimonia apud Drumannum Schweglerumque [4]) ex Ciceronis ipsius epistulis collata inveniuntur.

1) de leg. I, 2, 3. Plut.: Cic. 41.

2) Orator 11, 37; 20, 66. cfr. Berns: Cicero's Ansicht v. d. Gesch. (Attendorn 1880).

3) Brut. X, 42; cfr. Cornelii Nepotis elogium (frgt. Guelf. cod. Gud. 278 p. 99, 29 Nipp.).

4) Drumann, Roem. Gesch. V, 42; ibid. VI, 321 ann. 7. Schwegler, Roem. Gesch. (Tueb. 1853.) I, 94.

Solebat Tullius et orationes et scripta, ut animi sensum quam apertissime exprimeret, exornare exemplis historicis, et qua erat admiratione domesticorum, Romanis potissimum. Quam materiam ut sibi compararet haudquaquam studia historica urgebat, sed cum totam per aetatem in lectitando multum otii consumeret, aut iis scriptoribus utebatur, in quibus quoque tempore haerebat, aut quos putabat sibi esse colendos potissimum artis rhetoricae gratia [1]). Quae cum ita sint magni momenti esse mihi videtur quod ipsa Ciceronis aetate antiquitatem Romanam Cornelii Nepotes, Varrones, Attici, Tarrutii indagabant, quibuscum viris Ciceroni erat magna, ad partem vel intima, familiaritas. Nonne est suspicandum Tullium amicorum pervolutasse libros? Nonne est suspicandum etsi non penitus eos noverat, tamen eum nonnulla percepisse et suis scriptis inseruisse, cum qua sollertia quaecumque ei suppetebant in suos usus convertere potuerit, iam satis constet? Et ea quae suspicatus eram, facta cognosco. Nam Nepotis libros chronicon iterum atque iterum a Cicerone esse inspectos et exscriptos iam a B. Krischeo [2]) et E. Rohdeo [3]) probatum est. Quanti vero Attici librum annalem fecerit iam ex Bruto, qui liber primus annali libro edito anno a. Chr. n. 46. scriptus est, colligi potest [4]). Accedit quod, ut librum de senectute exemplis Romanis exornaret, Attici librum annalem Tullium exscripsisse Schanz [5]) opinatur; neque haec opinio est sine veritatis specie. Sed habeo, quo evincam Attici libellum a Cicerone haudquaquam esse integrum relictum in libris de finibus conscribendis, cum legantur II, 21, 67 verba: „nunc vero, quoniam haec nos etiam tractare coepimus suppeditabit nobis Atticus noster e thesauris suis quos et quantos viros!" Quae verba ut faceret, Cicero adductus est eo, quod

---

1) cfr. Brut. X, 41.

2) de societatis a Pythagora in urbe Crotoniatarum conditae scopo politico commentatio. (Gottingae 1830.) p. 10.

3) Mus. Rhen. tom. 36, p. 527; 533 etc.

4) cfr. Naumann: de font. et fide Bruti (Halis 1883).

5) Schanz: Gesch. d. roem. Litt. I ed. 2, p. 324.

II, 20, 66 fortunas Lucretiae et Virginiae narraverat; de fin. V, 22, 64 denuo mentionem facit Lucretiae et Virginiae, sed id breviter tantum, scilicet quod respicit ad ea, quae supra II, 20, 66 dixerat. Quapropter alia quoque exempla V, 22, 64 sq. prolata ex eodem fonte, id est ex libro annali Attici, fluxisse facile colligas. Neque est quod hanc opinionem refellamus, cum argumentum nobis accrescat verbis (V, 22, 64): „talibus exemplis non fictae solum fabulae verum etiam historiae refertae sunt et quidem maxime nostrae!"

Ac ne Varronis quidem omisit variae eruditionis volumina, quibus subtilius antiquitas Romana investigabatur quam quae Ciceroni placere possent. Nam, ut omittam verba probantia et laudantia [1]), opus quoddam Varronianum, quo de poëtis Romanis actum esse patet, ad Brutum componendum a Cicerone est adhibitum [2]). Quem bis ab Attico libros Varronis petiisse ex epistulis videmus: Scilicet anno 44. a. Chr. n. expectabat διάλογον [3]) quendam Varronis, anno 53. a. Chr. n. scripsit [4]): „velim domum ad te scribas, ut mihi tui libri pateant, non secus ac si ipse adesses, cum ceteri tum Varronis; est enim mihi utendum quibusdam rebus ex iis libris ad eos, quos in manibus habeo, quos ut spero, tibi valde probabo". Quae verba quanta sint gravitate dicere non est necesse; concepturus enim erat tum Cicero libros de re publica, quorum libro altero continetur, qua vetustiorem nosmet non habemus, antiquitatis Romanae descriptio contexte narrata. Sed dubito an non possit enucleari, num Tullius in conscribendo illo commentario historico re vera Varronis libros inspexerit, quoniam Varronis fere omnia interierunt. Accedit quod Polybiani libri sexti, quo usum esse in enarranda antiquitate Romana Tullium iam Niebuhr vidit [5]), pauca, quae quidem ad res gestas pertineant, extant fragmenta. Qua-

---

1) Brut. 15, 60; 56, 205; Acad. I, 3, 9.
2) cfr. Naumann l. s. all. p. 34. Ritschl opusc. III, 454.
3) ad Attic. XV, 13, 3. 4) ibid. IV, 14, 1.
5) Nieb.: Roem. Gesch. (ed. IV, Berol. 1833.) I, 250.

propter non facile cognosci potest quid sit Polybii, quid aliorum auctorum in libro II de re publica. Schubert[1]), qui librorum I et II de re publica fontes indagandos suscepit, cum Niebuhrio sentit: ex Polybii libro VI uno et solo totum commentarium emanasse historicum. Cui opinioni equidem assentiri nequeo. Nam ut de Varrone taceam, iam ab Odofredo Muellero[2]) observatum, a Krischeo et Rohdeo[3]) probatum est Nepotis chronicon libros in commentario illo historico quibusdam locis esse exscriptos. Accedit quod inveniuntur nonnulla in Ciceronis commentario quae a Polybio petita esse non possint, quae adhuc non extitit qui merito ponderaret. Sed his de rebus occasione oblata verba infra faciam, quoniam nec ab omni parte de integro considerare cupio qui sint fontes libri de re p. II nec abunde satisfacere possum toti huic materiae. Quaestiones enim tantum selectae sunt in animo, ne fines huius libelli transeam.

Mirum autem est scriptores ipsos rerum Romanorum a Cicerone raro esse inspectos; pluris faciebat commentarios in angustum coactos aut enchiridia veluti Nepotis et Attici. Porro aliis temporibus aliis ex fontibus hausit.

Librum de re p. II composuit, ut rem publicam Romanam[4]) „et nascentem et crescentem et adultam et iam firmam atque robustam" ostenderet. Polybius autem libro VI idem in animo habuit[5]): scripsit enim εἰς γνῶσιν καὶ τῆς συστάσεως καὶ τῆς αὐξήσεως καὶ τῆς ἀκμῆς. Itaque cum materia a Polybio iam esset expedita, Cicero librum VI Polybii exscripsit. Atqui haud pauca quidem, quae apud antiquissimos erant tractata, procul erant a causa de qua Polybius agebat. Quapropter quae res gestae iam ab antiquissimis auctoribus relatae erant[6]), eas nonnumquam

1) Quos C. in lib. I et II de re p. auct. sec. esse videatur (Lips. 1889).
2) apud Krischeum l. s. all. p. 10.
3) l. s. all. 4) de rep. II, 1, 3. 5) VI, 9, 12 ed. Hultsch.
6) Remi interitus silentio praeteritur. Tarpeiae mentio non fit, quamquam iam Fabius et Cincius rem omnem ordine enarraverant (cfr. Dionys. II, 38 sq.); nil traditur de asylo Romuli de **Egeria**, Porsenna, Coriolano.

omisisse mihi videtur; alia verbis tantum paucis perstrinxit, quae fontes eius verbose explicaverant.[1]) Quo factum est, ut hoc de quo agimus commentario Ciceronis historico carptim res gestae perscriberentur. Unde concluditur falsum esse memoriam vetustiorum scriptorum eruere velle ex hac epitome![2])

Haud dubie in libros Polybii incidit Cicero, cum studiorum causa apud Posidonium Rhodi commoraretur. Is enim, stoicae scholae philosophus, Polybii, quem magni faciebat, historiam continuare sibi proposuisse videtur. Etenim stoici, si Rudolphum de Scala[3]) sequimur, libris Polybii legendis summam operam impendebant, quin etiam libri Polybii ut servarentur curabant. Cum Nepos autem chronicon libros edidisset, ut Schwabe[4]) statuit intra annos a. Chr. n. 67—64, Tullius in suum usum eos contulit. Id quod non miror, cum Nepos primus Romanorum brevi in conspectu res uno eodemque tempore gestas posuerit. Postea, cum Atticus annalem librum intra annos 50—46 a. Chr. n. edidisset, ei enchiridio ad historiae fidem conscripto favebat, ut supra iam vidimus. Neque illis temporibus Nepotem repudiasse videtur, si quidem id colligi

---

[1]) Ex Dionysii verbis (I, 79—83) intelligimus quam copiose de Romulo et Remo Fabius tradiderit; at Polybius (i. e. Cicero) de singulis rebus exiliter profert. De nece Titi Tatii nil nisi res ipsa narratur: „post interitum autem Tatii“ (de re p. II, 8, 14).

[2]) F. Ruehl, Mus. Rhen. tom. 54 (1899) p. 319 illam de Romuli asylo fabellam vetustam non esse statuit, cum de re p. II eius mentio non flat. At iam Cato Censorius de asylo verba fecit (cfr. Gellius noct. Att. 18, 12, 7) et Piso Calpurnius vel nomen dei asyli protulit (cfr. Serv. ad Aen. II, 761). Ceterum Cicero ipse de orat. I, 9, 37 (qui libri scripti sunt anno a. Chr. n. 55. libris de re p. nondum editis!) hanc fabellam perstringit cum dicat „pastores et convenas congregasse“; de div. II, 17, 40 iocandi causa deos Epicuri „habitantes inter duos lucos“ inducit (cfr. Liv. I, 8; Vellei. I, 8, 5; Dionys. II, 15; spectant verba ad asylum!). Consilio igitur Romuli asylum de re p. II omittitur!

[3]) Die Studien des Polybius (Stutgardiae 1890) I, 294.

[4]) Quaestiones Catullianae (Gissae 1862) p. 296.

potest ex Tusculanarum disputationum (annis a. Chr. n. 45—44 scriptarum) libro I, quo in libro (16, 38) Pythagoras Superbo regnante in Italiam venisse narratur. Krische[1]) enim ex Nepote id depromptum esse probavit. Sed quis est qui Atticum idem proferre potuisse neget?

Quod dixi Ciceronem epitomen cuiuslibet scriptoris perscrutari maluisse quam commentarios ipsos, ex epistulis colligi potest. Nam anno 46. a. Chr. n., ut errorem quendam excuset[2]), epitomen Fannianorum, non Fannii ipsius libros profert; anno 45. a. Chr. n. epitomen Bruti Coelianorum expectabat[3]). Sed de ea re hactenus.

Disputandi in utramque partem peritissimus erat Cicero. Qui in oratione pro Cornelio[4]) (anno 65. a. Chr. n. habita), quia causa popularis erat, paenituisse ait Scipionem, quod passus esset secerni a cetero consessu spectacula senatorum; in oratione autem de haruspicum responso[5]), quia in senatu habebatur, cuius auribus erat blandiendum, et magnopere Scipionem laudat et non auctorem fuisse dandi — nam id erat levius — sed ipsum etiam dedisse sedes illas dicit. Neque Asconium, cuius commentario fragmenta nonnulla illius orationis pro Cornelio habitae nobis conservata sunt, haec fugit. Persecutum autem Tullium in oratione senatoria scriptorum aetate minorum vestigia coniecit; sed ego nescio an ipse historiam Cicero perverterit.

Non minus oratoria calliditas in oratione de domo cognoscitur, cum legantur 32, 86: „at vero, ut annales populi Romani et monumenta vetustatis loquuntur, Kaeso ille Quinctius et M. Furius Camillus et C. Servilius Ahala cum essent optime de re publica meriti, tamen populi incitati vim iracundiamque subierunt; damnatique comitiis centuriatis cum in exilium profugissent, rursus ab eodem populo placato sunt in suam pristinam dignitatem restituti“. Nam neque Kaeso Quinctius neque Ahala

---

1) l. s. all. 2) ad Attic. XII, 5, 3. 3) ad Attic. XIII, 8.
4) frgt. 12, Orelli.
5) 12, 24 (habita est oratio anno a. Chr. n. 56).

ab exilio revocati sunt; immo dolose, mea quidam sententia, Cicero historiam depravavit, ut ipse vir optime meritus fortunas suarum similes sibi construeret [1]).

Simile quiddam de harusp. resp. 8,16 invenitur: „P. Valerio pro maximis in rem publicam beneficiis data domus est in Velia publice, at mihi in Palatio restituta.“ Nemo autem scriptorum invenitur, qui dixerit, Valerio domum esse datam publice pro maximis meritis. Quare, si adiunxerimus fabellam illam levem de Coriolani morte voluntaria aliquoties prolatam [2]), quamquam ficta se narrare Cicero haud ignorabat, si respexerimus quae exposuit in Bruto (X, 41) „concessum est rhetoribus ementiri in historiis, ut aliquid dicere possint argutius“, fieri non potest, ut iis quae apud Ciceronem solum, non ab aliis quoque scriptoribus narrantur, fidem adiungamus; nec quemquem fugit, quaecumque ab oratoribus afferuntur, aliqua cum suspicione esse accipienda.

Qua levitate Ciceronis rhetorica errata quaedam, quae nobis occurrunt, explicantur. Ex quibus unum tantum afferam, quae in II libro de re p. invenitur, quoniam Schwegler [3]) iam multa exempla notanda contulerit.

Tres leges Porcias commemorat Cicero de re p. II, 31, 54: „. . . ne qui magistratus sine provocatione crearentur. Neque vero leges Porciae, quae tres sunt trium Porciorum, ut scitis, quicquam praeter sanctionem attulerunt novi.“ Livius autem (X, 9), Sallustius (Cat. 51, 22), Cicero ipse (pro Rab. perd. 3, 8; 4, 12 in Verr. 5, 63, 163), Asconius (in Cornel. p. 77 Orell.) unam legem Porciam proferunt. Sed L. Lange [4]) et Th. Mommsen [5]) cum Ciceronis

---

[1]) cfr. Th. Mommsen: Roem. Forsch. II, 212 ann. 127; Strafrecht 482 ann. 3.

[2]) cfr. Brut. X, 42. Lael. XII, 42. ibid. XI, 36.

[3]) Roem. Gesch. I, 95.

[4]) Roem. Altert. II, 205; II, 211; II, 249.

[5]) Roem. Strafrecht p. 31 ann. 3. p. 47 ann. 3.

verbis de re p. II, 31, 54 prolatis fidem attribuant, III leges Porcias statuendas esse putant.

At Livius X, 9,3 haec profert: „Eodem anno (a. Chr. n. 300.) M. Valerius consul de provocatione legem tulit diligentius sanctam; tertio ea tum post reges exactos lata est; semper a familia eadem . . . Porcia tamen lex sola pro tergo civium lata videtur . . . .“

Permirum certe esset, si bis a familia eadem ternae leges de provocatione latae essent, quae illa lege Poplicolae excepta „praeter sanctionem nihil novi afferrent“. Quapropter Cicero, cum toties vitiis abundet, Valerios cum Porciis permutasse mihi videtur.

At dixerit quispiam fieri non potuisse, ut Cicero hic erraret, cum exponeret „leges Porciae quae III sunt III Porciorum, ut scitis . . . Sed annalium populi Romani aut monumentorum vetustatis aut vulgatae opinionis auctoritatem adhibuisse Cicero videtur, quocumque loco falsum quiddam aut non probabile rettulerat, ut auditoris lectorisve animum sedaret. Sic factum est de re p. II, 37,63. Quamquam dixerat „nota scilicet illa res et celebrata monumentis plurimis litterarum“, tamen Virginiae patrem falso Decimum Virginium nominat.[1]) Idem factum est, ut iam vidimus, de domo 32,86: „at vero, ut annales populi Rom. et monumenta vetustatis loquuntur, Kaeso ille Quinctius . . .“ Quamquam nec Quinctius nec Ahala revocati sunt.

Nonnulla exempla historica Cicero poëtis et oratoribus debuit. Ennium ei in deliciis fuisse iam inde intelliges, quod apud Ciceronem plurima fragmenta poëtae Rudini inveniuntur. Nec scio an memoria tenuerit annales, quoniam Ennianis suas sententias ut accommodaret verbis, aperte studebat.[2]) Porro, ut vetustiores oratores populi

---

[1]) de fin. II, 20, 66; V, 22, 64 recte pater Lucius nominatur.

[2]) de re p. I, 2, 3 potentes urbes appellat „imperiosas“; Tusc. IV, 23, 52 iram „insaniae initium“ Lael. 6, 22 vox Enniana affertur „vita vitalis“; de re p. I, 23, 49 de regnis iudicatur: „nulla [regni] sancta societas nec fides — est.“

Romani describeret Ennii tantum annales fontem adhibuit.[1]) Quid dico! Quocumque loco qua ratione urbs condita sit exponit, multus est in versibus Ennianis depromendis[2]); atque Ennii vestigiis ingressum esse Tullium patet, cum Romam esse conditam augusto augurio praedicet identidem.[3])

Similiter ex aliis poëtis exempla invenimus; sed hoc unum proferam, quod pro Sestio 123 versus quidam Accii de Servio Tullio affertur. Nam cum in animo sit perscrutari Ciceronis fontes historicos, poëtis eum nonnulla debuisse iam sat est, meminisse; quapropter ut ostendam exempla sibi Ciceronem collegisse ex oratoribus quoque, hoc unum perpendamus. Parad. stoic. 1, 11 leguntur „a Numa Pompilio minusne gratas dis immortalibus capudines ac fictiles urnulas fuisse quam felicatas aliorum (Saliorum coni. Baiter) pateras arbitramur?" Unde haec verba sint hausta cognoscimus de nat. deor. III, 17, 43: „docebo meliora me didicisse de colendis dis immortalibus iure pontificio et more maiorum capedunculis iis, quas Numa nobis reliquit, de quibus in illa aureola oratiuncula dicit Laelius" Quam orationem de collegiis habuit Laelius praetor anno a. Chr. n. 145., cum Licinius Crassus tr. pl. rogavisset, ne pontifices, augures, XV viri a collegio ipso cooptarentur, sed crearentur a populo. Cuius quidem orationis cum fiat mentio iterum de deor. nat. III, 2, 5 et cum de archaismo iudicium feratur Brut. 21, 83, colligi potest a Cicerone eam penitus inspectam esse. Nec dubito, quin oratoris Ciceronis exempla historica ex oratoribus haud raro fluxerint.

Restat ut enumerem monumenta antiquitatis, quorum fit mentio scriptis Ciceronis. Quae pauca sunt: Signum

---

[1]) cfr. Brut. 15, 60; de prov. cons. 9, 21; de orat. I, 45, 198.

[2]) de div. 1, 20, 41 sq.; 1, 48, 107 (cfr. Mommsen Hermes XVI, p. 15; Vahlen, Sitz. Ber. d. Berl. Ac. 1894, 2, p. 1143 sq.). de re p. I, 16, 25; I, 41, 64. Tusc. I, 12, 28.

[3]) cfr. Varro, r. rust. 3, 1, 2: augusto augurio postquam incluta condita Romast.

lupae aheneae cum geminis pueris lactantibus[1]), sepulchrum Accae Larentiae[2]), Numae Pompilii[3]), statuae legatorum, quos Lars Tolumnius Fidenis iussit necari[4]), foedus Latinum a Cassio Vicellino factum.[5])

Et de his quidem hucusque.

---

## Caput II.

### Quae ratio intercedat inter Ciceronem et annalium scriptores.

Ut cognoscamus quae ratio intercedat inter Ciceronem et annalium scriptores, perscrutabimur primum quosnam nominatim attulerit, ut eorum auctoritate aliquid probaret aut acri iudicio eorum genus scribendi percenseret, deinde quos neque attulerit neque in usum suum convertisse videatur; postremo disquiramus num ex alio scriptore, quamvis eius nomen non afferat, hauserit.

**Fabii Pictoris** duo fragmenta libro I de divinatione conservata sunt. De div. I, 21, 43 agitur de somnio quodam Aeneae[6]), de div. I, 26, 55 de instauratione ludorum anno a. Chr. n. 490. facta. Utrumque fragmentum Cicero non ipsi Fabio, sed alii scriptori, ut infra videbimus, videtur debere. Aliis autem ex locis[7]) quibus de genere scribendi a Fabio adhibito iudicat[8]), Latinam tantum versionem annalium eum novisse colligi potest. Sed haec satis multa, cum Fabius Pictor quae narrat, Ciceronis animo obversata esse probari non possit.

---

1) in Cat. III, 19.
2) ad. Brut. I, 15, 8.
3) de leg. II, 22, 56.
4) Phil. IX, 2, 4. sq.
5) pro Balbo 23, 53.
6) Numerii Fabii Pictoris Graeci annales afferuntur; cum Hertz, philol.-klin. Streifzug p. 32 „Numeri“, quod legitur, emendet in „nostri“, de Gutschmid (Kl. Schriften V, 513) plane delet, quod sit littera „n“ vocabuli „in“ bis a librariis scripta.
7) cfr. de Gutschmid l. s. all. V, 513.
8) de orat. II, 12, 52; de leg. I, 2, 6.

**Cornelii Scipionis**, Africani maioris filii, Graecam historiam dulcissime scriptam esse Cicero Brut. 19, 77 affirmat.

**C. Acilii** auctoritas de off. III, 32, 113 profertur; agitur de numero Romanorum, qui post pugnam Cannensem fidem Hannibalis destituerunt. Quoad equidem historiam Romanam pervestigavi, nullo alio loco Cicero ad Acilium spectat. Neque hoc quidem verisimile est ex Acilio ipso eum hausisse; sed Soltau[1]) Ciceronem debuisse Claudio Quadrigario, quae de Acilio protulit, argumentis allatis haudquaquam probavit.

**Catonis Censorii** plura afferuntur; velut de re p. II, 1, 2: „is [sc. Cato] dicere solebat .... nostra autem res publica non unius esset ingenio, sed multorum, nec una hominis vita, sed aliquot constituta saeculis et aetatibus". Quae quidem verba hausta esse videntur ex dictis Catonis, quae vocantur.[2]) In libro illo de senectute, qui inscribitur Cato (anno 44. a. Chr. n. composito) Catonem Tullius inducit loquentem: „Legiones nostras, quod scripsi in Originibus, in eundem locum saepe profectas alacri animo et erecto, unde se numquam redituras arbitrarentur." Tusc. I, 42, 101 (annis a. Chr. n. 45/44 scriptus est hic liber) idem narratur. Quae verba ut faceret, virtute Caedicii cuiusdam tribuni militum (anno 258. a. Chr. n.), quam libro IV Originum Cato verbis simplicibus ac strenuis[3]) depinxerat, adductus esse Cicero videtur. Brut. 23, 89 oratio Catonis in Galbam pro direptis Lusitanis affertur his verbis: „quam orationem in Origines suas rettulit paucis antequam mortuus est, an diebus an mensibus." Mentio fit orationis etiam Brut. 20, 80; de orat. I, 53, 228.

Tusc. IV, 2, 3 legimus: „gravissimus auctor in Originibus dixit Cato, morem apud maiores hunc epularum fuisse ut deinceps, qui accubarent, canerent ad tibiam clarorum

---

1) Wochenschrift für klass. Philologie, 1890, p. 1239—45. Cfr. Soltau, Livius Geschichtswerk (Lips. 1897) p. 60 sq.

2) cfr. Jordan, M. Catonis quae extant p. 108.

3) cfr. Gellius, noct. Att. 3, 7.

virorum laudes atque virtutes.“ Eadem fere legimus Brut. 19, 75; Tusc. I, 2, 3.

De re p. I, 17, 27 apophthegma Africani maioris a Catone relatum invenimus: „numquam se plus agere quam nihil cum ageret.“ Idem autem traditur de off. III, 1, 1.

Quibus fragmentis perlustratis fieri non potest, quin in eo offendamus, quod Cicero Catonis ea, quae in suum usum convertit, non semel, sed iterum ac saepius protulit; ac non parvi momenti esse mihi videtur, quod narrationibus historicis posthabitis fere nihil nisi dicta sententiasve, quibus elegantiam sermonis orator augere solet, Cicero contulit. Catonis Origines et 150 orationes [1]) Tullius sane magni aestimabat; sed ostendi non potest num aliis quoque locis Catoni quid debuerit. [2]) Nam quocumque loco de genere scribendi iudicat effici nil potest.

**Calpurnii Pisonis** unum tantum ex libris Cicero profert ad fam. IX, 22, 2: „Piso ille Frugi in annalibus suis queritur adulescentes peni deditos esse“. Qua quidem ex re vix colligas Ciceronem libros eius pervolutasse; immo, eorum quae in Pisonis annalibus nova ac singularia extiterunt, ut scimus, nihil Cicero in suum usum contulit. [3]) Accedit quod quocumque loco de exili genere scribendi Pisonis iudicat [4]), Pisonis nomen cum aliis promiscue affert. Quod quantum in republica Piso effecerit a Cicerone laudatur, nihil refert. [5])

**Fannii** libros an percurrerit Tullius, ut Gracchanae aetatis amplissimi auctoris, nescio; reapse Ciceronis Fanniana cadunt omnia in ea tempora, quae longe ab hac materia remota sunt. Sed cum ter illis 5 fragmentis de ironia [6])

---

1) Brut. 17, 65.

2) de div. I, 15, 28 nescio an non ipse contulerit quae de neglegentia augurum dicuntur.

3) num Cicero in secessione prima enarranda de re p. II, 33, 58 Pisone hauserit necne, postea videbimus.

4) de leg. I, 2, 6; de orat. II, 12, 51—54.

5) in Verr. III, 84, 195; de off. II, 21, 75. Tusc. III, 8, 16.

6) Tusc. 4, 17, 40; de re p. II, 67, 270; Brut. 87, 299.

Africani agatur, cum Fannianam epitomen Bruti [1]), non Fannii ipsius annales citentur, cum de genere scribendi alio loco aliud percenseatur [2]), non est, quin recte concludamus huius quoque scriptoris libros Ciceronem leviter tantum attigisse. [3])

**Vennonius** de leg. I, 2, 6 quamvis exilis scriptor nominetur, tamen anno a. Chr. n. 46 Cicero fert moleste quod Vennonii libri sibi non in promptu sint. [4]) Sed Vennonii cum nonnisi unum nobis extet fragmentum, quod est de numero tribuum a Servio Tullio constituto [5]), nil effici potest.

**Gellius** promiscue cum aliis vetustioribus enumeratur scriptoribus de div. I, 26, 55; de leg. I, 2, 6. Sed hoc loco in Gellii nomen per coniecturam tantum incidimus, cum codices [6]) „belli" aut „bello" aut „bellus" praebeant. Illo autem loco Gellium non ipsum inspexisse Tullium inde iam apparet, quod legitur: „omnes hoc historici Fabii, Gellii sed proxume Coelius". Immo certe Gellii libros numquam habuit in manibus. Similiter **Sempronius Asellio** promiscue cum aliis enumeratur de leg. I, 2, 6.

**Coelii** autem **Antipatri** saepe a Cicerone aut mentio fit verbis sane comprobantibus [7]) aut proferuntur fragmenta historica. Excepto autem uno omnia illa fragmenta inveniuntur in libro I de div. et II de nat. deor. Neque casu quidem haec evenerunt, ut infra videbimus, quia scriptorem quendam Latinum illic Cicero exscripsit. Et quantum valeat in illo uno fragmento quod Orat. 69, 229 servatum est, de prooemio Coelii agi, iam dicam necesse non est. Accedit quod anno 45. a. Chr. n. Coelianorum

---

1) ad Attic. XII, 5, 3 (anno 46. a. Chr. n.).

2) de leg. I, 2, 6 „scriptor exilis"; Brut. 26, 101: historia non ineleganter (!) scripta.

3) cfr. Brut. 23, 89; 26, 101.

4) ad Attic. XII, 3, 1.

5) Dionys. IV, 15.

6) cfr. Jordan, Hermes VI (1872), p. 196 sq.

7) de orat. II, 13, 54; de leg. I, 2, 6. Contra ea Orator 49, 230: „sed hic omnino rudis" (!).

epitomen Bruti a Cicerone exspectatam esse scimus.[1]) Quae cum ita sint, equidem mihi persuadere nequeo, Coelii libros a Cicerone diligentius esse inspectos quam aliorum scriptorum rerum Romanarum.

**Sisennae,** quippe qui antiquitatem populi Rom. breviter attigerit, semel tantum auctoritas affertur de div. I, 44, 99.

**Scribonii Libonis** annales Cicero habuit in manibus, cum de legato quodam Mummii quaestiones institueret[2]); sed eius annales esse exscriptos in antiquitate enarranda Romana non est, cur putemus, cum praesertim non constet eum antiquis temporibus pervestigandis operam impendisse.

**Procilius** autem, qui laudatur in epistola ad Attic. II, 2, 2 antiquas res tradidit; sed hic omnino ignotus.

Restat ut quaeramus, quosnam scriptores rerum silentio Cicero praeterierit. Ut taceam de Cincio Alimento, Postumio Albino, Cassio Hemina, Sempronio Tuditano, Aelio Tuberone, scriptoribus et nomine et scriptis mediocribus, tamen aliquid habet offensionis, quod Claudii Quadrigarii, Valerii Antiates Ciceronem fugerunt. Quod attinet ad Claudium, qui rerum scribendarum initium ab invasione Gallica duxit, nescio an tantum valuerit Ciceronis aetate quantum his temporibus pro certo habetur. Sed omissurum fuisse Ciceronem Valerium Antiatem, quo nemo umquam annalium Romanorum scriptor magis florebat gratia, quis opinetur! Quodsi Antias, id quod L. Holzapfel[3]) paucis ante mensibus probare sibi proposuit, post necem Caesaris libros suos edidisset demum, plane eluceret, quibus de causis Cicero eum omiserit. Sed iis, quae Holzapfel protulit assentiri nequeo[4]). Totum autem iudicium, opinor, continetur fragmento quodam Antiatis a Gellio VI (VII) 9, 9 excerpto: „peposci" quoque, non „poposci" Valerius Antias

---

1) ad Attic. XIII, 8.

2) ad Attic. XIII, 30, 3; 32, 3; 44, 3.

3) Rivista di Storia antica e Scienze affini anno IV. n. 1—2. 1899.

4) F. Muenzer, ibid. n. 3 Holzapfelii argumenta nequaquam convicit; ea quae Hermes 1897, XXXII, 469 sq. protulit, repetiit.

annalium XLV scriptum reliquit: Denique Licinius tribunus pl. [propter] perduellionem ei diem dixit et comitiis diem a M. Marcio praetore peposcit". Quod quidem fragmentum narrationi anni a. Chr. n. 73. Holzapfel attribuendum esse censet. Cicero enim profert[1]) Rabirio anno 63. perduellionis reo Licinium Macrum crimen obiecisse, quod „loca religiosa et lucos violasset". Quapropter, cum Saturnini nece in curia facta et loca religiosa haud dubie sint violata et perduellio certe sit commissa, tribunus autem pl. Licinius fuerit anno a. Chr. n. 73, Antiatis illud fragmentum ad annum 73. spectare Holzapfel statuit. Neque vero ulla ratione ex verbis Ciceronis l. s. all. effici cogive potest primum, fuisse tribunum plebis Licinium Macrum (quamquam id non est sine specie veritatis!) cum Rabirium accusaret, deinde necem Saturnini a Licinio esse petitam cum crimen obiceret lucos et loca religiosa esse violata, postremo — et hac ab re omnis quaestio pendet! — perduellionis eum diem dixisse. Crimina enim a Macro obiecta cum nece Saturnini in eadem causa omnino non videntur fuisse, si quidem id argumentari possumus ex eo, quod quibuscumque litibus Rabirius umquam erat implicitus, ut misericordiam iudicum deleret, accusator contulerat[2]). Quibus de causis, praesertim cum illis temporibus nonnulli perduellionis sint accusati[3]), cum Licinii saepenumero tribuni pl. inveniantur, iis quae Holzapfel protulit, non possumus assentiri. Si vero in hac tanta difficultatum copia nihilo minus Holzapfel recte anno a. Chr. n. 73. attribuisset, quae apud Gellium l. s. all. invenimus, tamen colligi non posset, quod Holzapfel collegit. Valerius enim Antias cum de rebus anno 100. gestis et de nece Saturnini verba fecisset, ut enarraret quomodo scelus postea esset expiatum, a via videtur deflexisse. Cuius quidem opinionis est argumentum, quod illud fragmentum incipit vocabulo

---

1) pro Rab. perd. reo II, 7.
2) ibid.
3) cfr. Pauly, Realencycl. s. v. perduellio tom. V. 1328.

„denique“! Sed, sive verum est sive falsum, quod de fragmento illo Holzapfel statuit, ab Antiate libros post Caesaris necem demum editos esse prorsus non est verisimile[1]. Nam etsi nemo scriptor Romanus invenitur, qui tradiderit Antiatem libros suos diversis temporibus per partes edidisse, tamen ex ingenti numero librorum — colliguntur 75 vel dicam 78 libri! — evinci potest Antiatem, ita ut Livium, quam quoque tempore partem confecerat, edidisse. Et si non plures, at tamen libros X primos iam anno 65. a. Chr. n. editos esse inde apparet, quod Asconius[2]) fieri potuisse putat, ut in oratione pro Cornelio (anno 65. a. Chr. n. habita!) Antiatem Cicero exscriberet. Asconium autem, qua erat gravitate et severitate errasse, haud probabile est. Quare causa non est, cur putemus iam ante Valerii Antiatis libros historiam Romanam quibusdam narratiunculis in gloriam maiorem gentis Valeriae fictis esse depravatam. Sed ita res se haberet, si Antias post Caesarem mortuum libros edidisset, cum inveniantur iam apud Tullium quae a Valerio esse ficta adhuc vulgo existimantur.

Quaeramus igitur num ex Antiate ipso Cicero hauserit. H. Jordan[3]) exposuit Ciceronem cum Brut. 14, 53—55 oratores vetustissimos populi Romani enumeraret, ficticias orationes ab annalium quodam scriptore explicatas — ut Jordan opinatur a Valerio Antiate! — esse secutum. At repugnat quod, ut supra vidimus, Valerii Antiatis nomen numquam a Cicerone allatum est. Quod quanti momenti esset cum Jordanum non fugeret[4]), pro vocabulo „belli“ in verbis de leg. I, 2, 6 „ecce autem successere huic belli Clodius, Asellio . . .“, legendum esse „baleri“ (!) censet, ut „baleri“ in „Valerius“ commutaret.

---

1) cfr. Velleius II, 9, 4.

2) Orelli Cic. ed. tom. V, 69. Agitur de anno 194. a. Chr. n.; et Antiatem libro 11. iam anni 188 res gestas enarrasse scimus; nec scio an libros quinos aut denos ediderit; sic enim usus antiquitatis.

3) Hermes (1872) VI p. 196—213.

4) ibid. p. 209.

Probari autem, quae Jordan coniecit, tum demum poterunt, cum de Dionysii fontibus accuratius erimus instructi; quoniam adhuc non satis constat cuiusnam scriptoris vestigia Halicarnassius quibusdam in partibus collegerit, utrum Valerii Antiatis an Licinii Macri an tertii scriptoris aut alterumutrum aut utrumque secuti [1]. Quod vero attinet ad oratores Brut. 14, 53 sq. enumeratos, prorsus non quadrant in Dionysii fontem quae de L. Bruto et M. Valerio Maximo a Cicerone proferuntur. Nam cum L. Brutum collegae suo imperium abrogasse Cicero et antiquissimi scriptores inter se congruant, Collatinum Lucretio socero suadente imperio se abdicasse tradit Dionysius [2] haud dubie scriptores aetate minores secutus. Nam Piso Calpurnius primus tradidit orasse Brutum, ut „sua voluntate Collatinus concederet" [3], nimirum indignatione quadam affectus, quod consuli imperium esset abrogatum. Neque minus inter se differunt Cicero et Dionysius cum hic narret M'. Valerium cum plebe egisse deposito honore [4], ille contra M. [5] Valerium dictatorem discordias sedasse. Fabella autem illa de M'. Valerio extremis temporibus a Valerio Antiate ficta est, ut Hirschfeld probavit [6]. Patet igitur primum alio auctore ac Dionysium usum esse Ciceronem, deinde hunc modo memoriam vetustiorem modo recentiorem, eam quae minus fide digna esset, secutum esse. Sed Ciceronem compluribus ex annalibus compilasse quae de oratoribus Romanis antiquissimis illo loco profert, quis sibi persuadeat! Atque ut dicam quid sentiam: Probabilius mihi videtur Ciceronem in enarrandis illis oratoribus Licinium Macrum quam Antiatem secutum esse. Sed

---

1) cfr. Virck, Quellen des Livius u. Dionys. (Argentor. 1877) p. 23; 55.

2) V, 6–12.

3) Gellius N. A. XV, 29.

4) VI, 58 sq.

5) de praenomine Marco aut Manio cfr. Mommsen, C. J. L. I. ed. 2, p. 190.

6) Philologus, 34 p. 85 sq.

certis argumentis adhuc nondum probatum est Antiatem a Licinio Macro iam esse exscriptum [1]. Immo, ne illud quidem constat, de quo nonnumquam est actum [2], a Macro annalium quendam scriptorem aetate maiorem potissimum esse exscriptum. Vera autem si esset haec opinio, scilicet contextos esse a Macro et Antiatis libros et cuiusdam vetustioris scriptoris, manifestum esset oratores illos a Macro petitos esse, cum et Antiatis et vetustioris memoriae vestigia apud Tullium inveniantur; sed de ea re nescimus. Sed cum Valerii Antiatis ne nomen quidem inveniatur in Ciceronis scriptis, Licinii libros ab eo esse inspectos inde colligi potest, quod de leg. I, 2, 7 de Macri genere scribendi fusius verba fiunt et orationes intextae vituperantur. Orationes autem Macrum inseruisse ex fragmentis colligi potest [3]. Et antiquitatem Romanam cum Licinius breviter — altero enim libro bellum cum Pyrrho gestum iam narratum est! — Valerius autem Antias tot per volumina verbose et, si Frontoni [4]) fidem habemus „invenuste" tractaret, nonne verisimile est Macri, ut multo artioris, vestigiis Ciceronem insistere maluisse? Nam quod simultates erant inter Macrum et Ciceronem hanc ad rem non pertinet.

Quibus expositis tertiam huius capitis partem confecisse mihi videor.

## Caput III.

## Quo ex libro exempla Romana in libro I de divinatione hausisse Cicero videatur.

Difficile non erat arcana augurum perspicere. Quae a Varrone, Festo, Gellio, Servio ex libris auguralibus vel

[1]) K. W. Nitzsch, Roem. Annalistik (Berol. 1873) p. 352. Muenzer, de gente Val., p. 22 ann. 8.

[2]) Nitzsch l. s. all. Fabium esse exscriptum potissimum coniecit, de Gutschmid, Kl. Schriften V, 532 Gellium.

[3]) cfr. Peter, vett. hist. Rom. rell. (Lip. 1870) frgt. 20: 22.

[4]) ed. Naber p. 114.

de verborum proprietate singularia nobis conservata sunt, ex libris augurum quorundam ad usum domesticum scriptis collata sunt.[1]) Ciceronis autem temporibus gravissimum certamen ortum esse de doctrina augurali inter augures Ap. Claudium Pulchrum[2]) et C. Claudium Marcellum[3]) scimus. Ac Claudius Pulcher quidem augurales suos libros, vel dicam librum, quo probandum suscepit disciplina augurali re vera intellegi posse quid esset futurum, Ciceroni dedicavit. Neque id mirum; nam etsi Claudius Pulcher erat frater illius Clodii, quo nemo Ciceroni erat infestior, tamen inter hunc Pulchrum et Ciceronem aliquod vinculum familiaritatis fuisse constat. Id quod iam ex epistulis elucet, quoniam libro III Ciceronis epistularum ad familiares scriptarum nil nisi epistulae ad Claudium Pulchrum scriptae continentur. Quibus ex epistulis cognoscimus anno a. Chr. n. 51. librum primum illius operis Ciceroni missum esse[4]); sed nescio an reliqua pars numquam scripta sit, quoniam Tullius non semel Pulchrum, ut promissa praestaret, monuit.[5]) Quare ex Festi verbis p. 298 „Ap. Pulcher in auguralis disciplinae lib. I.“ vix colliges complures libros Festo fuisse in manibus. Sed cum firmare studeret Pulcher

---

[1]) Neque aliter res se habet in libris sibyllinis, ut Diels, sibyll. Blaetter p. 15—20 exposuit.

[2]) cons. anno 54. a. Chr. n.; censor anno a. Chr. n. 50. senatu Sallustium movit; socer Bruti (Brut. 77, 267).

[3]) cons. anno 50. a. Chr. n. Plura de utriusque vita inveniuntur apud Bardtium: Priester der 4 grossen Collegien (Berol. 1871) p. 23; 25.

[4]) ad fam. III, 4, 2: „quod ... iam antea iudicaram maximeque illo libro augurali, quem ad me amantissime scriptum, suavissimum misisti.“

[5]) ad fam. III, 9, 3 (anno a. Chr. n. 50.) „et velim reliquum quod est promissi ac muneris tui mihi persolvas, cum ipsam cognitionem iuris augurii consequi cupio tum mehercule tuis incredibiliter studiis erga me muneribusque delector.“

ad fam. III, 11, 3 (quae epistula spectat ad III, 9): „nam augurales libros ad commune utriusque nostrum otium serva! Ego enim a te cum tua promissa per litteras flagitabam ad urbem te otiosissimum esse arbitrabar.

re vera ex disciplina augurali cognosci posse deorum voluntatem, Marcellus omnem illam disciplinam fictam esse statuit quo magis qui in re publica administranda versarentur hominum animos coërcerent.

Ac si perpenderimus libri de divinatione Tulliani quid sibi velint, valde in eo offendemus quod priore libro Quintus Ciceronis frater probare studet, esse quendam rationem auguralis disciplinae, altero autem libro Marcus ipse Cicero argumenta a fratre prolata reicere studet. Videlicet Quintus frater quae profert dicta sunt aperte ex animo Claudii Pulchri, Ciceronis autem ipsius argumenta Marcello digna sunt. Qua in re Marcus cum Marcello congruit adeo, ut de div. II, 18, 43, quo loco praeceptum illud augurale discutit „Jove tonante fulgurante comitia populi habere nefas", causam cur hoc constitutum sit esse coniciat, quod „comitiorum non habendorum causas esse voluerunt".

Novisse autem Ciceronem libros illorum augurum apertissimum est cum Atticum de leg. II, 13, 32 ita loquentem faciat: „sed est in conlegio vestro inter Marcellum et Appium, optimos augures, magna dissensio — nam eorum ego in libros incidi —, cum alteri placeat auspicia ista ad utilitatem esse rei publicae composita, alteri disciplina vestra quasi divinari videatur posse."

Unde apparet Tullium cum suos libros de divinatione componeret illorum scripta vix praeteriisse. Et re vera iterum atque iterum quae ratio inter Claudium Pulchrum et Marcellum intercesserit Ciceronem explicantem videmus in libro I de divinatione. Quibus ex locis, quippe quibus ad Quinti argumentationem prorsus non opus fuerit, colligitur materiam non satis accurate Ciceronem pervestigasse, ut expers ullius auctoris eam tractaret.

Loci spectandi sunt hi: De div. I, 16, 29 Ap. Claudius Pulcher censor notasse narratur C. Ateium, quod ementitus esset auspicia; sed nescimus qua de re agatur. Sed utut res se habet, ex Pulchri ipsius libro emanasse quae leguntur hoc loco cognosces, cum verba perceperis: „veram enim

fuisse obnuntiationem, ut ait idem augur et censor". Et ut exponam qua de causa Cicero Ateiana illa etsi erant levidensia rettulerit, non dubito quin in Pulchri libro augurali verbose et fusius narrata fuerint, cum Pulchri auguris interesset ea quae censor notaverat purgare.[1]) Ac ni fallor librum illum Pulcher maxime ob eam causam scripsit, ut quas protulerat de rebus auguralibus sententias defenderet. Quod quidem elucet ex verbis de div. I, 47, 105: „Tibi (sc. M. Ciceroni) Ap. Claudius augur consuli nuntiavit addubitato Salutis augurio bellum domesticum triste ac turbulentum fore; quod ... a te ... oppressum. Cui quidem auguri vehementer adsentior. Solus enim multorum annorum non decantandi augurii, sed divinandi tenuit disciplinam. quem inridebant collegae tui eumque tum Pisidam tum Soranum augurem esse dicebant, quibus nulla videbatur in auguriis aut praesensio aut scientia veritatis futurae ..." Hoc ex loco qua de causa librum suum Ciceroni dedicarit Pulcher cognoscimus. Sperabat enim haud dubie in suas partes se tracturum esse collegam[2]) Ciceronem praesertim cum optime meritus esset de Cicerone consule in Catilinaria coniuratione.

Porro mentio infertur Claudii Pulchri de div. I, 58, 132: „nunc illa testabor, non me (sc. Q. fratrem) sortilegos ... ne psychomantia quidem, quibus Appius, amicus tuus, uti solebat, agnoscere.[3]) Denique de div. II, 35, 75: „equidem (sc. M. Cicero) adsentior C. Marcello potius quam Ap. Claudio, qui ambo mei collegae fuerunt, existimoque ...." Quo ex loco conici potest Pulchrum et Marcellum iam ante annum 44. a. Chr. n. mortuos esse.

---

[1]) Nam Pulchro crimini data esse videtur nota illa in Ateium; id quod vel e Q. Ciceronis ipsius verbis, quibus nota reprehenditur, colliges.

[2]) Cicero ipse augur creatus est anno 53; cfr. P. Ribbeck, Senatores Romani (Berol. 1899) p. 5 no. 6.

[3]) Tusc. I, 16, 37 idem narratur.

Ac de hoc quidem nil certi habemus [1]), sed illum, Pulchrum dico, non multo ante pugnam Pharsalicam morbo interiisse in Euboea constat.[2]) Nec licet iam praetereamus verba Brut. 77, 269 explicita, quibus Pulcher cum auguralis tum omnis publici iuris antiquitatisque Romanae bene peritus laudatur.

Quibus expositis vix falso colliges Claudii Pulchri librum auguralem a Cicerone esse haudquaquam neglectum. Sed siquidem auctorum Romanorum libri, qui erant de divinatione, Ciceroni in manibus erant, vix omnibus in partibus Graecorum philosophorum libros eum secutum esse patet. Ac re vera ita esse factum inde mihi accrescit argumentum, quod liber II de div. nequaquam accurate congruit [3]) cum libro I; quae quidem discrepantia non intellegi potest nisi forte ea, quibus argumenta prioris libri refellantur, alio ex fonte manasse ac librum ipsum priorem statuis.

Fontes, ex quibus liber I de div. haustus est, Graecos esse omnes viri docti consentiunt; sed qui sint auctores parum constat. Posidonium vero fontem potissimum esse plurimi[4]) statuunt. Sed apud auctores illos Graecos, quos Graeca exempla protulisse consentaneum est, etiam Romana exempla Tullium invenisse multa, quis credat? Ciceroni autem erat in proposito quoad vixit[5]) Romanis coloribus, quaecumque Graeci praestiterant in scientia, depingere. Accedit quod Graeci minus idonei erant quibus uteretur Tullius in libello de Romanis auguriis componendo. Quare Romana illa exempla aut ipse Cicero collegit aut ex aliis scriptoribus, qui eandem materiam tractaverant, transtulit. Quod ad illud attinet legimus de div. II, 9, 22:

---

1) Bardt l. s. all. p. 23 Drumannum affert; hic autem ex vocabulo „fuerunt", quod hoc loco legitur, collegit.

2) cfr. Lucan. Phars. V, 230; cfr. Drumann, R. G. II, 197.

3) cfr. Schanz, Roem. Litt. Gesch. I, ed. 2 p. 255.

4) Schiche: de font. lib. Cic. qui sunt de div. (Jena 1875) p. 25. Hartfelder: Die Quellen v. Cicero's 2 B. B. de div. (Frib. 1878) p. 11. P. Corssen: De Posidonio (Bonnae 1878) p. 14.

5) Cuius rei argumenta iam praebent libri de inventione scripti a Tullio admodum adolescentulo.

„clarissimorum hominum nostrae civitatis gravissimos exitus in „consolatione“ collegimus“. Sed cum librum de consolatione (anno a. Chr. n. 45.) conscriberet Tullia modo mortua nil agebat nisi ut studiis urgendis dolorem gravem leniret. Quod ut efficeret, ex philosophia atque ex memoria virorum illustrium idem perpessorum petebat solamen. Quo factum est, ut ipse exempla colligeret; et qua ratione collegerit ex epistulis ad Atticum tum scriptis optime intellegi potest[1]). Accedit quod ea ipse non modo collegit, ut dolorem scribendo leniret, sed etiam quia exempla undeunde ab aliis collata ei non suppetebant. Sed de his causis non est quod cogitemus, cum celeriter et leviter libros de divinatione conscripserit. Quare cum in promptu haberet librum illum Claudii Pulchri ipsi dedicatum cur eo libro eiusque exemplis non uteretur? Ac ne male quidem vel inhoneste Cicero fecisset, si id fecisset, quoniam apud veteres nemini ignominiae erat ex aliorum libris depromere quae placeret; nec aliter sensisse Ciceronem quamvis virum ingeniosum scimus. Accedit quod Claudius anno 45. iam dudum vita decesserat.

Libro illo I de div. perlustrato inveniemus Graeca exempla constanter Romana excipere; Romana autem exempla non minus quam Graeca inducuntur verbis huncce in modum factis: I, 23, 46: age nunc ad externa redeamus; I, 24, 48: [haec de Indis et magis] redeamus ad somnia; Hannibalem Coelius scribit. . .; I, 24, 52: sed veniamus nunc si placet ad somnia philosophorum [sc. Graecorum]; I, 26, 55: sed quid ego Graecorum? nescio quomodo me magis nostra delectant (!); I, 43, 97: ad nostra iam redeo; I, 49, 109: sed, ut unde huc digressa est eodem redeat oratio. . .

Unde elucet duos scriptores Ciceronem in promptu habuisse: Graecum quendam scriptorem potissimum, ni fallor, secutus Graeca exempla primo protulit, deinde Romanis Romano ex fonte depromptis tenorem Graeci

---

1) ad Attic. XII, 20; XII, 22; XII, 24.

scriptoris denuo secutus est. Quibusdam vero in partibus mirum in modum abundat exemplis Romanis veluti I, 15, 28—I, 18, 36; I, 43, 97—I, 49, 109. Neque id casu aut fortuito evenisse mihi videtur, quoniam illo loco nota censoria in Ateium a Pulchro facta in numero exemplorum profertur, hoc autem loco (47, 103) de Claudii Pulchri ipsius rationibus verba fiunt. Quae cum ita sint ex libro augurali Claudii Pulchri exempla Romana Ciceronem in librum I de div. transtulisse statuo.

Neque quae protuli refelluntur scriptoribus quorum ex libris exempla libri I de div. deprompta sunt. Afferuntur nomina Coelii Antipatri[1], Fabii Pictoris[2], Gellii[3], Sisennae[4], Sullae[5], quorum auctoritate narratiunculas prolatas affirmare studet Quintus frater. Quorum ex numero saepissime Coelius affertur. Sed quis est qui neget mirum esse quod, cum unum tantummodo fragmentum Coelii in omnibus ceteris scriptis Ciceronis depromatur et id ad prooemium spectans, admodum saepe hoc in libro I de div. Coelii fit mentio. At dixerit quis hanc tantam copiam exemplorum Coelianorum inde explicari, quod illis temporibus epitomen Antipatri Cicero ab Attico petivit[6]. At O. Meltzer[7]) et Wölfflin[8], qui genus scribendi Coelianum disquisiverunt, quasdam proprietates scripturae Coelianae in exemplis illis se invenisse putant. Quod si verum est, quomodo fieri potuerit, ut Bruti epitome Coelianorum scribendi genus a Coelio adhibitum servaret ad verbum, non intelligo. Accedit quod narratiunculam illam de instauratione ludorum (anno 490. a. Chr. n. facta) Coelius nisi digressus[9], ut ita dicam,

---

1) de div. I, 24, 49; 26, 55; 26, 56; 35, 77. 2) I, 21, 43; 26, 55. 3) I, 26, 55. 4) I, 44, 99. 5) I, 33, 72.

6) ad. Attic. XIII, 8; reapse haec opinantur Schiche l. s. all. p. 15 et Hartfelder l. s. all. p. 13.

7) Fleckeisen's Jahrb. 105 (1872) p. 431.

8) Antiochus v. Syracus u. Coel. Ant. (Winterthur 1872) p. 26.

9) Seeck, Kalendertafel (1885) p. 106 et Hesselbarth, 3. Decade des Liv. p. 659, ea quae Sieglin, Jahrb. f. klass. Phil. Suppl. XI p. 1, protulit de altero quodam libro Coelii prorsus ignoto reicere student; sed de ea re non liquet!

a re proposita — scripsit enim de bello II. Punico! — afferre non potuit. Cicero autem bis de div. I, 26, 55 sq. Coelium auctorem nominat. Itaque prorsus non verisimile est ex Bruti epitome eam fluxisse. Quodsi, ut exponeret rationem divinationis, Claudius Pulcher contulisset illa exempla Coeliana, plane explicarentur ea, in quibus offendimus. Nam cum permagni eius interesset somnia illa, prodigia, omina accurate exscribere, scripturae quoque genus eum mutasse non verisimile est. Deinde ex Ciceronis ipsius verbis Brut. 77, 267 colligas, cum bene peritus Claudius antiquitatis Romanae laudetur, scriptores illos antiquos eum novisse, quos Cicero reformidabat. Porro quod attinet ad Fabium Pictorem Cicero ut supra vidimus in Fabii Latinam tantummodo versionem incidisse videtur. Hoc autem loco Graeci annales Fabii Pictoris afferuntur (I, 21, 43).

Multorum vero exemplorum qui sint fontes non patet. Equidem pauca tantum commemorabo, quae digna sunt quae proferantur: Bardt[1]), qui quae de Atto Navio referuntur perquisivit, omnium scriptorum qui hanc rem tractarunt vetustissimum statuit fuisse eum, quem Cicero hoc loco (I, 17, 31) secutus est. Porro, historiam de Ti. Gracchi morte de div. I, 18, 36 ex scripto quodam C. Gracchi ad M. Pomponium esse depromptam Peter[2]) statuit. Denique, cum aliis locis[3]) Tullius tradat III Decios, fratrem, filium, nepotem pro patria esse mortuos, de div. I, 24, 51 de nepotis morte tacet. Unde sequitur, ni fallor, Ciceronem librum, quem in promptu habuit, accurate hoc loco exscripsisse. Et de his quidem hactenus.

Certe ratione quadam inter se coniuncti sunt libri de div. et de nat. deor. Cuius rei Tullius per Quintum fratrem ipse infert mentionem, cum dicat de div. I, 5, 9: „Quod praetermissum est in illis libris (sc. de nat. deor.), credo

[1]) Legende v. Augur Attus Nav. (Elberf. 1883) p. 7.

[2]) hist. rell. p. 116. cfr. de div. I, 18, 36: ut C. Gracchus, filius eius, scriptum reliquit.

[3]) de fin. II, 12, 61: Tusc. I, 37, 89.

quia commodius arbitratus es separatim id quaeri, deque eo disseri, id est de divinatione . . ." Nec falso conicies Ciceronem hausturum fuisse iisdem temporibus (nam libri de nat. deor. et I liber de div. Caesare nondum mortuo scripti sunt!), ut idem probaretur iisdem ex fontibus. Quare non dubito quin exempla Romana capitum 1—4 libri II de nat. deor. eodem ex fonte fluxerint, praesertim cum congruant ex parte cum exemplis libri I de div.[1]) aut breviter tantum perstringantur, quia in libro I de div. fusius exponuntur. Sed nescio an nonnulla ex memoria inserta sint praeterea illis capitibus de nat. deor. II, cum sint vitiosa. Neque id miror. Libros enim illos de nat. deor. neglegenter scriptos esse negari non potest[2]).

## Caput IV.

### Quid de secessionibus plebis Cicero narraverit.

De secessione prima Cicero fecit verba primum de re p. II, 33, 58, tum Brut. 14, 54, post in oratione illa anno a. Chr. n. 65. pro C. Cornelio habita, cuius nonnulla fragmenta Asconius nobis conservavit.[3]) Hoc loco leguntur: „Tanta igitur in illis virtus fuit, ut anno XVI post reges exactos propter nimiam dominationem potentium secederent, leges sacratas ipsi sibi restituerent, duos tribunos crearent, montem illum trans Anienem, qui hodie mons sacer nominatur, in quo armati consederant, aeternae memoriae causa consecrarent. Itaque auspicato postero anno X tr. pl. comitiis curiatis creati sunt."

Non fugerunt Asconium verba „sacratas leges restituerent", et cum librarios hac in re peccasse coniceret, corrigenda esse quae Tullius protulit in „constituerent" proposuit. Ihne[4]) vero nescire sese explicat an Ciceronis

[1]) cfr. de div. I, 17, 33, quo loco Cicero lectorem ipse remittit ad librum de nat. deor. II, 4, 10.

[2]) Bardt, l. s. all. p. 6. Schoemann: de nat. deor. p. 23.

[3]) ed. Kiessling-Schoell, p. 67 sq.

[4]) Roem. Gesch. 2. ed. I, 138 ann. 2.

verba a librariis haudquaquam depravata ex fonte optimo fluxerint, cum restituta esse possint plebi iura clientium, quae ei erant ut Ihne opinatur, aut iura ex pacto ei promissa cum in rem publicam Romanam transirent. Nectamen Asconius quae coniecit praeferenda esse censeo. Aliud vero in quo offendimus hoc est: Fragmento exeunte in codicibus Asconii M et P [1]) leguntur „itaque auspicato postero anno X tr. pl.... creati sunt. Sozomeni vero apographum X numerum omisit. Falsa vero exhibuisset si re vera Cicero scripsisset quod legitur, iam anno a. Chr. n. 493. X tribunos creatos esse, cum inter omnes constet anno 457. a. Chr. n. numerum tribunorum usque ad X esse auctum. Quae cum ita sint quaeramus Cicero an librarii an lector quivis X interpolarit. Librarios autem peccasse verisimile non est; sed ne Ciceronem quidem X scripsisse inde intelligitur, quoniam fieri non potuit ut ita pergeret „itaque X tr. pl. creati sunt“, cum antea duos creatos esse explicarit. Accedit quod Asconium, scilicet quem accuratissime percensuisse Tullii verba nemo nescit, fugere non poterant errata; immo vero ex verbis eius colligas X eum non legisse quoniam dicit: „ceterum quidam non II tr. pl., ut Cicero dixit, sed V tradunt creatos tum esse . . . sunt tamen, qui eundem illum duorum.“[2]) Quare lectoris cuiusdam peccatum hic statuendum esse censeo, quod Cicero, cum de altera secessione loqueretur aperte dixit „X tribunos creaverunt“. Quapropter X numerum in narratione primae secessionis delendum puto.

Jam quae Cicero de secessione prima profert ex fonte puro et antiquo manasse vel inde elucet, quod duos tantummodo tribunos plebis in monte sacro creatos esse tradit. Omnes enim scriptores qui libros post Pisonis annales ediderunt — Attico et Cicerone exceptis — tribunorum numerum videntur immutasse; quod quidem, ni fallor, sequitur ex Asconii verbis qui dicit l. s. all: „sunt tamen

[1]) Barptolemaei de Montepoliciano et codices ex Poggiano apographo transsumpti.

[2]) de re p. II, 37, 59 Cicero recte narrat: duobus tr. pl. creatis!

qui eundem illum duorum numerum quem Cicero ponant; inter quos Tuditanus et Pomponius Atticus, Livius quoque noster.“ Sed Tuditanus (cons. 129. anno a. Chr. n.), siquidem Asconii verbis hoc loco prolatis fidem habemus, iam scripsit, quod Livius II, 33 protulit, a duobus illis tribunis III collegas cooptatos esse. Cicero autem de cooptatis tribunis tacet et Atticum in libro annali idem ac Ciceronem tradidisse ex Asconii verbis manifesto elucet. Sed Attici libro annali, siquidem editus est anno 46. a. Chr. n. Cicero in Corneliana (anno a. Chr. n. 65. habita) uti non potuit. Ac ne Pisonem quidem, quamquam duorum tr. numerum tradidit [1]), Cicero hoc loco fontem adhibuit, quoniam in Aventinum secessionem factam esse Piso auctor est. [2])

Ex fonte vero antiquo Cicero quae profert in Corneliana manasse inde apparet, quod propter nimiam potentium dominationem secessionem factam esse legimus. Nam ut Nitzsch [3]) et postea O. Hirschfeld [4]) probarunt, scriptores antiqui tradiderunt expertibus rei publicae plebeiis fuisse controversiam cum patriciis, cum id agerent ut honorum participes fierent; quare ut Romam plebs rediret secessione facta ius tribunorum esse concessum. Minores vero aetate scriptores pauperibus alienoque aere obnoxiis plebeiis controversiam illam fuisse cum divitibus patriciis tradiderunt. Antiatem vero eum fuisse, qui memoriam vetustiorum annalium hac quoque in re depravaret, Nitzsch coniecit. Id quod parum probabile mihi videtur, quoniam ad tempora Gracchana magis quadrat discordias ordinum in pauperum iniurias immergere. Quare Pisonem Calpurnium fuisse eum qui ea novaret conicio. Nam, ni fallor, obaeratis plebeiis Piso iam aliquid momenti attribuit. Cassius enim Dio, quem Pisonis vestigiis ingressum esse Muenzer [5]) explicuit, ἄφεσιν τῶν τε δανεισμάτων καὶ τῶν ὑπερημεριῶν εὑρόμενοι tradit. [6])

Sed Th. Mommsen non assensus est iis [7]), quae Nitzsch et Hirschfeld protulerunt, cum dicat: „vel maxime fenoris

---

1) cfr. Liv. II, 58, 1. 2) cfr. Liv. II, 32, 3. 3) Roem. Annalistik (Berol. 1873) p. 47; 167; 337. 4) Philologus 34 p. 90. 5) de gente Val. p. 22. 6) 17, 12. Dind. 7) C. J. L. I ed. 2 p. 191.

causa plebeios a patriciis dissensisse certe non Antias primus excogitavit, sed pertinet id ad narrationem annalibus omnibus communem et vetustam ... accedit Ciceronis testimonium (sc. de re p. II, 33, 58) cum elogio (sc. M' Valerii C. J. L. I ed. 2 p. 189) conspirans nec facile ad Antiatem referendum."

Ac reapse Cicero de re p. II, 33, 58 dicit: „nam cum esset ex aere alieno commota civitas plebs montem sacrum prius, deinde Aventinum occupavit." Quae tamen verba non licet urgeamus, cum etiam aliud quoddam singulare praebeant „plebem montem sacrum prius, deinde Aventinum occupasse. Nam secessionem plebis primam ut ceteri scriptores Pisone excepto in montem sacrum, ita Cicero et Sallustius[1]) soli in montem sacrum et Aventinum factam esse narrant. Nec scio, id quod iam Muenzer[2]) coniecit, an Sallustius hac in re a Cicerone pendeat. Piso autem solus in Aventinum secessionem factam esse tradidit.[3]) Et colligendum esset Ciceronem ex iis quae vulgo credebantur et quae Piso tradidit, novam narrationem conformasse, si evictum esset Pisonem umquam a Cicerone esse excriptum. Quomodo autem quae refert Tullius sint conturbata, facile est intellectu. Leguntur enim de re p. II, 37, 63, quo loco de secessione altera verba fiunt, haec: „. . . milites bellum illud, quod erat in manibus, reliquisse et primum montem sacrum, sicut erat in simili causa ante factum, deinde Aventinum ar(matos insedisse)."[4])

---

1) Histor. frgt. I, 8 ed. Gerlach. Histor. frgt. I, 11 ed. Maurenbrecher. 2) de gente Val. p. 22. 3) Liv. II, 32, 3.

4) Muenzero assentiri nequeo cum dicat l. s. all. p. 21 „Ciceronis duo illi loci, quibus de I secessione agitur, ex Antiate manarunt": Qui sunt III, ut iam vidimus; locum sane Cornelianum omisit Muenzer. Sed si re vera ex Antiate manassent, non modo de re p. II 33, 58, sed etiam Brut. 14, 54 „montem sacrum et Aventinum" legeremus; porro in eo offendo, quod neque Dionysius Antiatem secutus potissimum neque elogium M'. Valerii (C. J. L. I ed. 2 p. 189), quod ex Antiatis libris fluxisse Hirschfeld l. s. all. probavit, Aventini mentionem faciunt.

Sed utut res se habet eodem enuntiato, quo singulare illud modo invenimus, continentur ea, quibus Mommsen nititur. Et suspicio quae nobis occurrit iusta evadet. Nam de re p. II, 34, 59 Cicero secum reputat „rationem fuisse maioribus in illo aere alieno medendi". Quibus ex ambagibus, ut ita dicam, Ciceronem in contrarias sententias distractum haesitasse apparet, quomodo rem tractaret, cum sibi esset conscius aeris alieni unum solum remedium esse, quod Solo Atheniensis adhibuit, σεισάχθειαν dico. Neque eum fugit qua esset perversitate obaeratis tribunorum ius concedere; dicit enim de re p. II, 34, 59: „quo tum consilio [sc. sublevandi] praetermisso causa populo nata est duobus tribunis pl. per seditionem creatis, ut potentia senatus atque auctoritas minueretur". Tribuni igitur, ut Cicero ipse exponit, creati non sunt, ut morbum plebis sanarent, immo, ut nimia dominatio potentium minueretur!

Discrepant igitur inter se quae eodem loco de causis primae secessionis Cicero profert; nec difficile cognosci potest qua ratione ut scriberet, quae scripsit, adductus sit. Eius enim temporibus cum aes alienum gravissima causa secessionis haberetur, Polybii autem commentarius nil nisi nimiam dominationem potentium commemoraret, factum est, ut qua erat levitate Tullius in historia conscribenda narrationes inter se pugnantes confunderet [1]). Sed cum res secessionis singulatim enarraret secutus tenorem Polybii, ut videtur, non fugit eum verborum suorum pravitas; quare dubitans quid faceret tribunos creatos esse tradidit. Nec tamen praetermisit aes alienum non esse levatum [2]). Sed ex eo, quod ambigit Tullius quid faciat, facile colliges eum non complures scriptores comparasse, sed leviter tantummodo rem perstrinxisse.

---

1) nescio an Nepos aliusve auctor, qui tum Ciceroni in manibus erat, aes alienum respexerit potissimum; nescio an Cicero sibi persuaserit aere alieno plebem fuisse excitatam.

2) Quibusnam de causis Schwegler R. G. II, 259 dicat ne Ciceronem quidem omisisse aeris alieni levationem non intelligo.

Ex iis igitur quae de prima secessione de re p. II, 33, 58 leguntur, cum sint suspiciosa, effici nil potest; in Corneliana autem, cum aes alienum plebis non commemoretur, plebem propter nimiam dominationem solam potentium secessisse invenimus. Quare, cum in Corneliana quae leguntur haud dubie tanti sint quanti quae in libro II de re p., quae Nitzsch, Hirschfeld protulerunt, argumentis illis allatis Mommsen diluisse non videtur.

Artissime quae de secessione altera narrantur in Corneliana Tullium coniunxisse cum historia primae secessionis ex commentario Asconii apparet. Quare quae in Corneliana de prima et altera secessione narrantur, quippe cum eodem ex fonte mero et antiquo ea fluxerint, diligenter observanda sunt. Verba, quibus secessio altera narratur haec sunt: „tum interposita fide per III legatos amplissimos viros Romam armati revertuntur. In Aventino consederunt; inde armati in Capitolium venerunt. X tr. pl. <per> pontificem, quod magistratus nullus erat, creaverunt“.

Pacem igitur inter cives conciliant non Valerius aut Horatius, quos Livius pactores concordiae laudat, sed illi III legati, quos Livius III, 50 frustra in Aventinum missos esse narrat. Livius autem, cum de secessione altera verba faceret, non eundem fontem quem in prima secessione describenda exscripsit. Nam III, 54, 12 tribuni creantur (anno a. Chr. n. 449.) L. Virginius, L. Icilius, P. Numitorius . . . tum C. Sicinius „progenies eius, quem primum tribunum pl. creatum in sacro monte proditum memoriae est; II, 33, 2 autem tribuni pl. primi nominantur C. Licinius et L. Albinus. Sed dixerit quis a librariis esse depravatam litteram S in L, praesertim cum narratum sit et a Livio II, 33, 2 secessisse plebem Sicinio quodam auctore et ab Asconio l. s. all. L. Sicinium L. f. Velutum et L. Albinium C. f. Paterculum primos tribunos fuisse. Sed mea quidem sententia recte Livii librarii II, 33, 2 Licinium nomen scripserunt, quoniam Sicinii quoque eodem loco fit mentio: „hi [sc. creati primi tribuni] III collegas sibi

creaverunt, in iis Sicinium fuisse, seditionis auctorem; de duobus, qui fuerint, minus convenit".

Atque equidem nescio an hoc loco ex Licinii Macri annalibus Livius hauserit, cum non sine gravissima causa Sicinius ex tribuno creato tribunus cooptatus factus esse videatur. Licinii autem ut hominis maxime popularis permagni intererat prae se ferre aliquem de gentilibus suis alterum primorum tribunorum fuisse. Auctor scilicet secessionis dignus erat, qui primus tribunus pl. crearetur. Et Asconius l. s. all., Livius III, 54 reapse ita narrant. Quare Livius cum II, 33 ab omnium scriptorum et ipsius narratione (III, 54) dissentiat, non dubito quin hoc loco Licinio auctore usus sit. Neque ignoramus Licinium favisse suis gentilibus. Quod quidem ut probaret iam Soltau [1]) locos contulit, de quibus unum commemorare placet. Livius quae de Licinio quodam tradiderit VII, 9, 4 ex Licinio Macro se hausisse aperte exponit. Quae cum ita sint quae Virck l. s. all. p. 78 statuit, scilicet Livium cum tempora antiquissima rei publicae Romanae liberae narraret, ex Pisonis et Antiatis annalibus unis et solis hausisse [2]), satis infirmata esse videntur. Neque id miror, quoniam vel id offensioni est, quod duos tantummodo auctores Virck statuit; cum legantur II, 18, 5 „apud veterrimos auctores", II, 33, 3: „sunt qui II tantum . . . dicant".

Quibus expositis colliges Licinium Macrum a Livio in enarranda altera secessione (III, 54,12) non esse excriptum, quod hoc loco Sicinius tribunus primus vocatur.

Qui fuerint illi III legati, qui fidem interposuerunt Cicero in Corneliana oratione non narrat. Quare Asconius nomina Sp. Tarpeium, C. Julium, P. Sulpicium adscribit. Quae quidem nomina quamvis accuratissime cum Livii congruant, qui dicit III, 50 frustra eos esse missos, tamen ab hoc auctore non petiit Asconius, quoniam fieri non

---

[1]) Livius Geschichtswerk (Leipz. 1897) p. 96 et 112.

[2]) Quae de Fabio l. s. all. Virck protulerit non liquet mea quidem sententia.

potuit, ut Asconium fugeret in Livii historia frustra eos cum plebe egisse; porro pontifex per quem tribunos X plebis creaverunt a Livio III, 54 Q. Furius, ab Asconio M. Papirius vocatur.

Nec miror quod in Livii historia legati illi tres infecta re Romam redirent, cum haud dubie Livii auctor ageret id, ut omnem discordiae sedatae laudem Valerio et Horatio ob ea merita sequentis anni consulibus creatis vindicaret. Licinius Macer, ut iam vidimus, hoc loco a Livio neglectus est. Ac ne Pisonem quidem esse exscriptum inde efficitur, quod Livius hunc in modum scripsit (III, 54, 12): „tum C. Sicinium, progeniem eius, quem primum tribunum plebis creatum in Sacro monte proditum memoriae est“. Piso autem in Aventinum factam esse priorem secessionem tradidit. Jam cum quaeramus cuiusnam interesse potuerit Valerium quendam discordias sedare recte colligemus ex Antiate Valerio Livium hausisse in enarranda altera secessione; et mirum in modum congruunt, quae Maschke [1]) argumentis ex iure civili depromptis evincere conatus est, Sullanae aetatis scriptorem a Livio esse exscriptum [2]). Quare nar-

[1]) R. Maschke, Freiheitsprocess, p. 46, magni ponderis esse opinatur quod et de re p. II, 37, 63 et in Corneliana oratione nomina Appii Claudii, Virginiae silentio praetereuntur, aut pater virginis falso Decimus Virginius nominatur. Jam haec Maschke congruere statuit cum iis, quae B. Niese observavit (de annal. Rom. observ. Marburg. 1886 p. 6 sq.) scilicet quo quisque inferior esset aetate liber Ciceronis, eo accuratius et perfectius nomina esse adscripta. Quae observatio Niesei si in universum spectas nescio an vera sit. Hoc autem loco iam Asconius rectum vidit cum diceret Ciceronem nomina omisisse, quia notissimum erat X virum illum Appium Claudium fuisse et patrem virginis L. Virginium. Eadem de causa breviter de re p. II, 37, 63 rem tantummodo perstringit; sed ibi id cur faciat explicat: „nota scilicet illa res et celebrata monumentis plurimis litterarum“. Quare falsum est conicere ipsa Ciceronis aetate nomina illa esse ficta.

[2]) Quodsi Licinium eum fuisse, quem exscripserit Livius, sibi Maschke persuadet, argumentis supra allatis refellitur. Nam quis opinetur Macrum — licet historiam depravarit — tam neglegentem fuisse, ut in enarranda altera secessione se splendorem primi tribunatus genti suae attribuisse ipse nesciret!

rationem illam Ciceronis in Corneliana oratione nobis conservatam cum ex fonte hausta sit vetustiore quam quo Livius utebatur, non licet neglegamus. Sed quinam sit ille fons non constat; nescio an Cicero, quippe quem mihi persuadere non possim vetustiore annalium scriptore ipso usum esse, hac in oratione Cornelii Nepotis chronicon libros exscripserit, quos brevi ante editos esse Schwabe l. s. all. statuit.

---

## Caput V.

### Qua ratione temporum determinandorum Cicero in libris de re publica usus esse videatur.

Cum Atticus annali libro explicasset Romam esse conditam anno a. Chr. n. 753. et Cicero [1]) et Varro [2]) hanc rationem secuti sunt. In libris autem de re publica, scilicet qui scripti sunt Attici libello nondum edito, „Graecorum annalium“ rationem secutus, ut ipse dicit II, 10, 18, originem Romae ol. 7,2 (= 750 a. Chr. n.) Cicero posuit. Contra Th. Mommsen [3]) Ciceronis verbis cum fidem non haberet, Fabii Pictoris rationem Tullium secutum esse contendit, qua Roma ol. 8, 1 (= 747 a. Chr. n.) condita esse putatur. Jam cum Mommseno nonnulli viri docti assentiri videantur de integro rem perquiramus. Loci autem, quibus est utendum, hi sunt:

de re p. II, 10, 18: nam si, id quod Graecorum investigatur annalibus, Roma condita est secundo anno olympiadis septumae . . .

de re p. II, 30, 52: his enim regiis quadraginta annis et ducentis paullo cum interregnis fere amplius praeteritis . . .

---

[1]) iam in Bruto (anno a. Chr. n. 46. ed.).
[2]) de gente pop. Rom. (anno a. Chr. n. 43. ed.).
[3]) Roem. Chronologie p. 138 ann. 256.

de re p. II, 15, 28—29: nam, quartum iam annum regnante Lucio Tarquinio Superbo, Sybarim et Crotonem et in eas Italiae partes Pythagoras venisse reperitur. Olympias enim secunda et sexagesima eadem Superbi regni initium et Pythagorae declarat adventum. ex quo intelligi regiis annis dinumeratis potest, anno fere centesimo et quadragesimo post mortem Numae primum Italiam Pythagoram attigisse.

de re p. II, X, 17: ac Romulus cum septem et triginta regnavisset annos.

de re p. II, 14, 27: sic ille [sc. Numa] cum undequadraginta annos . . . regnavisset.

Mommsen cum regum annos conferret e Ciceronis libro de re p. II et, quod attinet ad Tullum Hostilium et Servium Tullium[1], aliis ex fontibus[2], annorum numerum 138 accuratiorem esse coniecit quam 140, quem annorum numerum a Numa mortuo usque ad initium regni Superbi perlapsum esse Tullius statuit de re p. II, 15, 28.

| T. H. | + | A. M. | + | T. P. | + | S. T. | + | T. S. | | |
|---|---|---|---|---|---|---|---|---|---|---|
| 32 | + | 23 | + | 38 | + | 44 | + | 1 | = | 138. |

Inde profectus calculos a Cicerone de re p. II, 15, 29 subductos cum discuteret, Fabiana non Graecorum ratione Ciceronem usum esse Mommsen statuit:

748 (747 Roma condita)
— (37 + 39 + 1) [anni Romuli et Numae et I annus interregnorum.]
671
— 138
533 = ol. 62, 1.

Sed omisisse videtur Mommsen verba „quartum iam annum regnante L. Tarquinio Superbo Pythagoras venisse reperitur“ et cum ex verbis, quae sunt „initium regni“,

[1]) Qui quantum temporis regnaverint propter lacunam ex libro illo de re p. II perspici non potest.

[2]) R. Chron. p. 139: „wesentlich dieselben Zahlen haben Diodor, der Chronograph von 354 . . . nur dass dem Numa Cicero 39, Diodor und der Chronograph 41 Jahre zuteilen“.

colligeret unis et solis, *primum*, non quartum annum Superbi rationibus intulit. Quod vero olympias illa 62 ratione Fabiana et primum et quartum Tarquinii annum comprehendit, non est quo insistamus, cum Cicero aperte spatium unius, non quattuor annorum verbis supra exscriptis determinet. Itaque sunt dinumerandi anni hunc in modum[1]);

T. H. + A. M. + T. P. + S. T. + T. S.
32 + 23 + 38 + 44 + 3 — 140.

751 (750 Roma condita)
— (37 + 39 + 2) [anni Romuli et Numae et II anni[2]) interregnorum.]
673
— 140
533 = ol. 62, 1.

Haudquaquam ergo rationem Fabianam Cicero in libris de re p. secutus est.

Schubert[3]) cum olympiadem 62, 1 et *primum* Superbi annum eundem esse putaret, Tarquinium Superbum non 25 per annos sed 22 regnasse collegit. Maioris autem momenti sunt, quae H. Matzat, O. Seeck, W. Soltau protulerunt. Nam Matzat[4]), cum Ciceronis verba de re p. II, 30, 52 nimis urgeret, regum tantum annos respexisse Tullium coniecit, interregum annis neglectis; quare non 240 annos sed 243 rationibus inferendos esse opinatus est. Quod quamvis acriter Seeck[5]) recusarit, tamen ipse

1) Particulam quarti anni Superbi haudquaquam Cicero neglexit; dicit enim l. s. all. anno *fere* centesimo et quadragesimo; quare tres anni Superbi rationibus sunt inferendi.

2) II annos interregnis tribuo, cum de re p. II, 30, 52 Cicero ipse nonnulla interregna commemoret. Et post Romulum mortuum longum interregnum fuisse constat; cum annis Numae Pompilii bis *binos* annos adiungant scriptores rerum minores aetate, ut 43 pro 39 dinumerentur anni, effici potest non omnes scriptores sicuti Livium I, 17, 6, virum minime suspiciosum, putasse, interregnum 10 × 10 × 5 dierum unius anni spatium esse conplexum!

3) l. s. all. p. 41.

4) Roem. Chronologie (Berol. 1883) I, p. 149 sq.

5) Die Kalendertafel (Berol. 1885) p. 104 sq.

Mommsenum secutus primum annum Tarquinii Superbi primum esse ol. 62 exposuit; et, ut explicaret rationes inter se discrepantes, ut putabat, quas Cicero subduxit, Ciceronem aut potius eius auctorem Polybium varios fontes conturbasse coniecit. Soltau autem[1], quamvis 140 annos diligenter rationi intulerit, tamen in eo peccat, quod non primo, sed quarto anno ol. 62 Pythagoram in Italiam venisse ex Ciceronis verbis colligendum putat. Ne plura dicam: cum Tullius quartum annum Superbi primum esse ol. 62 exposuerit, Soltau eius verba ita confudit, ut primum annum Superbi pro quarto ol. 62 haberet. Quare fieri non potuit, ut recte iudicaret.

Quod Mommsen, Seeck, Holzapfel[2]) putabant, e Polybio Ciceronem rationem suam transtulisse, equidem assentiri nequeo. Nam verba quae leguntur de re p. II, 10, 18 „id, quod Graecorum investigatur annalibus, Roma condita est ol. 7, 2 . . ." prorsus non in Polybium cadunt, quamvis eadem olympiade Romam esse conditam rettulerit[3]). Dionysius enim I, 74 Polybio opprobrio vertit, quod causam cur credidisset non reddiderit, quod auctoritates tantum annalium maximorum protulerit. Nepos autem secundum Solinum[4]) originem Romae non minus quam Polybius ol. 7, 2 posuit; porro, qui fuerint illi „Graeci annales", verbis ipsis Solini explicatur, cum dicat „Nepoti et Lutatio opiniones Eratosthenis et Apollodori comprobantibus ol. 7, 2 . ." Quare non dubito, praesertim cum aliis quoque locis, ut Krische et Rohde probaverunt[5]), in libro II de re p. Nepotis vestigia inveniantur, cum Nepos, ut ex Gellio (noct. Att. XVII, 21, 6) elucet, Pythagoram Tarquinio regnante in Italiam venisse tradiderit[6]), quin omnem illam argumentationem Numam Pythagoreum non fuisse, ex

---

1) Roem. Chronologie (Frib. 1889) p. 275.
2) Roem. Chronologie (Lips. 1885) p. 112 ann. 2; p. 172 etc.
3) cfr. Soltau, l. s. all.
4) Mommseni ed. 2. p. 7.
5) l. s. all.
6) cfr. l. s. all.

Nepotis chronicon libris Tullius transtulerit [1]. Accedit quod intelligi non potest, quomodo fieri potuerit, ut Cassius Hemina et Calpurnius Piso fabellam levem de Numae scriptis Pythagoricis narrarent [2], si a Polybio iam probatum erat hoc fieri nullo pacto potuisse.

---

1) De ratione quae intercedat inter Nepotem et Apollodorum cfr. H. Diels: Apollodor's Chronik, Rh. Mus. XXXI, p. 11. de Nepotis chronic. libris cfr. Muenzer, Beiträge zur Quellenkritik des Plinius, p. 334.

2) Plinius, h. n. 13, 86 sq.

## Sententiae controversae.

---

1. Catulli liber carminum ex compluribus libellis contextus non est.
2. Varro libros Valerii Antiatis haudquaquam neglexit.
3. Verba quae leguntur apud Plinium h. n. XIII, 86: „in his libris scriptae erant philosophiae Pythagoricae“ fragmento Cassii Heminae attribuenda sunt.
4. Fabellam illam de Numa Pythagoreo scriptores rerum Sullae temporibus iam omiserant.
5. Syngrapha Ottonis III, qua agitur de donatione papae Sylvestro II facta, falsa non est.

---

# Vita.

Johannes Hermannus Zingler natus sum Berolini a. d. VII Kal. Sept. a. h. s. LXXV patre Rudolpho, matre Mathilde e gente Belling, quos parentes praematura morte mihi ereptos esse valde doleo et semper dolebo. Fidei addictus sum evangelicae.

Primordiis litterarum imbutus Dessaviae in gymnasium Fridericianum a. h. s. LXXXVI, anno sequente Berolini in gymnasium Ascaniense, quod adhuc floret sub auspiciis Woldemari Ribbecki v. d., receptus sum. Inde maturitatis testimonio post VIII annos faustos felicesque instructus vere a. h. s. LXXXXV universitatem Berolinensem adii, ut historicis et philologicis studiis IX per semestria me dederem.

Docuerunt me viri doctissimi: Curtius †, Delbrück, Diels, Gennrich, Harnack, Hirschfeld, Hoeniger, Hübler, Kahl, Kekule de Stradonitz, Köhler, Kübler, Lasson, Lehmann, Lenz, Liesegang, Münch, Oncken, Paulsen, Scheffer-Boichorst, Schiemann, E. Schmidt, Schmoller, Sternfeld, Stumpf, Thiele, de Treitschke †, Vahlen, Wagner, Wattenbach †, de Wenckstern, de Wilamowitz-Moellendorff.

Exercitationibus benigne aditum mihi praebuerunt Diels, Kübler philologicis, Hirschfeld, Köhler, Lehmann, Scheffer-Boichorst historicis, Wattenbach palaeographicis.

Quos omnes viros optime de me meritos grato semper colam animo, imprimis Dielsium, Köhlerum, Scheffer-Boichorstium.

Maximas vero gratias Hirschfeldio, quo auctore has studiorum primitias suscepi, et nunc ago ex animi sententia et semper habebo.

**Typis expressit C. Salewski, Berolini, Neue Friedrichstr. 44.**